



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit tentatio Dei?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

servationib⁹, ut gregem suum à lupis, vel scabies, vel aliis in commodis, tueantur. 2. Fabri ferrarii qui circa equos sanandos utuntur verbis, vel ex psalmis, vel ex oratione Dominica desumptis. 3. Rustici, qui ad sananda pecora inanibus & superstitiosis observationibus utuntur, vel recurrunt, ad peritos taliū artium. 4. Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu vel ex matrice, vanas & superstitiosas adhibent orationes. 5. Milites, qui deferunt secū sacra nomina, vel orationes, ad certitudinē, quòd in bello vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igni, vel subita morte perituri.

CAPUT. II.

De Irreligiositate, ejusque speciebus.

Irreligio, quæ religioni opponitur per defectum, vel tendit directè ad irreverentiam Dei, & est Tentatio Dei, aut perjurium; vel tantum tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, & est Sacrilegium, aut Simonia. De Perjurio, in secundo præcept. de reliquis hîc.

DUBIUM I.

Quid sit tentatio Dei?

Resp. Tentatio Dei, est dictum vel factum, quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat, *S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. Sanch. &c.* Ea est duplex, scilicet vel formalis, quando quis expressè dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit, ut si quis petat miraculum, quo patefiat fidem Catholicam esse veram; vel det se præci-

ricors,

pittem ex turri, ut experiatur an Deus sit misericors, eum eripiendo à læsione: vel est implicita & Interpretativa, quando quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eò referri videtur; ut si quis se committat periculo, à quo vel nullo modo, vel vix possit eripi nisi miraculosè; vel si media naturalia omittat, sperans à solo Deo effectum, v. g. in morbo periculoso respuens medicinam, petensque ac sperans à Deo temerè sanitatem *Nau. c. 11. Less. n. 4.* Item si sine necessitate & causa rudis absque præparatione velit concionari, sperans à Deo sibi suggerendos conceptus, *Suar. Sanch. Less. La. l. 4. t. 10. c. 5.* Unde resolves.

I. Tentatio Dei Formalis est peccatum ex genere suo mortale, in quacunque etiam materia, Ratio, quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, curiosius agendo cum Deo quasi cum ludione. *Less. l. 2. c. 45. d. 1. Sanch. l. 2. c. 34. Suar. & ceteri com.*

II. Interpretativa tentatio cui dubitatio illa deest, plerumq; est tantum peccatum veniale, ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, vel parvitatem periculi. Imò sæpè nullum est peccatum, quando scilicet justa causa subest, v. g. Dei instinctus, necessitas, vel pia utilitas. *Suar. Tol. Cajet. S. Thom. 2. 2. q. 9.*

III. Si quis in puteum se conjiciat, ad declarandam Dei erga se providentiam, aut supra prunas ambulat, ad innocentiam ostendendam, est interpretativa

tativa tentatio Dei. Uti etiam sunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam, &c. de quibus *v. Binsfeld. & Delrio l. 4. disp.* Licet enim Deus aliquando tales purgationes miraculosè probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati. *Ban. d. 3. q. 9. p. 1.*

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex sit Sacrilegium?

Resp. Sacrilegium, est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino; & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; nõ verò, si generaliter tantũ repugnet, quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnât sanctitati, v. g. templi, ita ut ibi cũ veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex: Personale, quo persona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur. *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. & ceteri Theologi.* Unde resolves.

I. Personale sacrilegium est percussio Clerici, pertractio ejusdem ad iudicium sæculare; item luxuriosa violatio personæ Deo per votũ castitatis sacratæ de qua *v. infrat. 4. c. 2. de 6. prac. dub. 2.*

II. Locale sacrilegium est omnis actus, quo Ecclesia polluitur ut est v. g. occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis, illicita & notoria, sepultura excommunicati, vel non baptizati; item si actus quidam profani fiant in Ecclesia, & repugnâtes, ejus immutati; ut si negotiationes, illiciti concubitus, & spurcities seditiones, concilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia

effra-